

## PETRARQUE

## CARMINA VARIA (340 vers)

Pétrarque avait adopté une graphie originale du latin, qui peut dérouter. Pour des raisons techniques, la graphie traditionnelle a dû être rétablie.

## GULIELMO DE PASTRENGO.

- C1 v.1 Imperiosa situ victrici condita dextra  
 2 turris ad astra levor, spectabilis intus et extra.  
 3 Corrigiae splendor, fulget quo principe Parma,  
 4 bellipotens Azo me vult munimen ad arma.  
 5 Me videat securus amans hostisque tremiscat :  
 6 subdere colla jugo, vel poscere foedera discat.
- C2 v.1 Indolis atque animi felicem cernite Thomam,  
 2 quem rapuit fati praecipitata dies.  
 3 Hunc dederat mundo tellus vicina Peloro :  
 4 abstulit hec eadem munus avara suum.  
 5 Florentemque nova juvenem virtute repente  
 6 succidit misero mors inimica mihi.  
 7 Anne igitur grates refera pro munere tanto,  
 8 carminibus siculum litus ad astra ferens ?  
 9 Anne gemam potius simul, indignerque rapinam ?  
 10 Flebo. Nil miseris dulcius est gemitu.
- C3 v.1 En domus Andreae Veneti ducis ultima quanta est !  
 2 Alta sed assurgens spiritus astra tenet.  
 3 Publica lux jacet hic, et quartum sidus honorum  
 4 stirpis Danduleae, gloria prima ducum.  
 5 Hunc animi vigilem temeraria Graecia sensit,  
 6 et levis antiquo reddita Creta jugo.  
 7 Hunc comes Albertus Tyrolis nostra perurgens,  
 8 vastatis propriis, qui meruit veniam ;  
 9 hunc Justinopoli fervens et Iadra rebellis  
 10 pertimere trucem, percoluere pium.  
 11 Hic Genuam bello claram pelagoque superbam  
 12 fregit ad Algerium, servitioque dedit.  
 13 Justus, amans patriae, magnos cui fecit amicos,  
 14 ingenio praestans, eloquio omnipotens.
- C4 v.1 Vix mundi novus hospes iter, vitaeque volantis  
 2 Attigeram tenero limina dura pede.  
 3 Franciscus genitor, genitrix Francisca ; secutus  
 4 hos de fonte sacro nomen idem tenui.  
 5 Infans formosus, solamen dulce parentum,  
 6 nunc dolor ; hoc uno sors mea laeta minus.  
 7 Cetera sum felix, et vere gaudia vitae  
 8 nactus et aeternae, tam cito, tam facile.  
 9 Sol bis, luna quater flexum peragraverat orbem :  
 10 obvia mors, fallor, obvia vita fuit.  
 11 Me Venetum terris dedit urbs, rapuitque Papilla :  
 12 nec querar, hinc caelo restituendus eram.

- C5 v.1 Heu magno domus arcta viro ! Sub marmore parvo  
 2 heu pater hic patriae, spesque salusque jacent !  
 3 Quisquis ad hoc saxum convertis lumina, lector,  
 4 publica damna legens, junge preces lacrimis.  
 5 Illum flere nefas, sua quem super aethera virtus  
 6 sustulit, humano si qua fides merito.  
 7 Flere gravem patriae casum, fractamque bonorum  
 8 spem licet, et subitis ingemuisse malis.  
 PONENDI A PECTORE.  
 9 Quem populo, patribusque ducem Carraria nuper  
 10 alma dedit, Patavo mors inimica tulit.  
 PONENDI A TERGO.  
 11 Nullus amicitias coluit dulcedine tanta,  
 12 cum foret horrendus hostibus ille suis.  
 13 Optimus, inque bonis semper studiosus amandis ;  
 14 nescius invidiae, conspicuusque fide.  
 15 Ergo Jacobi speciosum credula nomen  
 16 nominibus raris insere, posteritas.
- C6 v.1 Discolor ut Nymphae tetigit vestigia pellis,  
 2 lectior, et cunctis nimis invidiosa puellis,  
 3 nescit habere locum, refugit sub claustra reverti ;  
 4 et sibi purpurei decus addidit innuba serti ;  
 5 teque per arva canens, varios legit undique flores ;  
 6 et timet humentes pedibus calcare sorores.
- C7 v.1 "Candida si niveis se nunc tua laurea pennis  
 2 induat et pelago pulchra feratur avis,  
 3 nonne voles simili te transformasse figura  
 4 mente manente quidem, sed variante coma ?  
 5 Nonne libens, quocumque gradum feret illa, sequeris  
 6 hac illac secum per freta cuncta vagus  
 7 dilectaeque comes nanti simul atque volanti,  
 8 ut similis semper vita duobus eat ? "  
 9 "Sic fateor, sed plura petam : mihi dulcis amicus  
 10 haereat et lateri dulcis amica suo.  
 11 Gratior hec avibus contingat vita quaternis,  
 12 nil animos usquam quod nimis angat erit."
- C8 v.1 Si fera quadrupedum tractando pectora mulces  
 2 et potes in mores sensim convertere dulces  
 3 sique vagas, volucres humanas flectere mentes,  
 4 est minus et cunctas uni tibi subdere gentes.
- C9 v.1 Tu felix victrixque redi siculosque tyrannos  
 2 obrue, ne longos stent scepra nefanda per annos.
- C10 v.1 Mane nemus montes, sero mare flumina fontes.
- C11 v.1 Sollicitus segnis gaudens flens aeger inopsque.

- C12 v.1 Linquimus Italiam, paulatim terra tumescit  
2 et pede montana valle tenemus iter.
- C13 v.1 Surgimus assidue, rigidam jam scandimus Alpe  
2 asperiorque graves semita lassat equos,  
3 Jupiter horrissona descendens turbine saevit,  
4 et terras oculis eripere nives.
- C14 v.1 Jam glaciale solum convexaque summa gehennae  
2 transgredimur, jam nos concomitantur aquae.  
3 Saxosus gelidusque viam Durentia monstrat  
4 et Rhodani ripas arvaque nota petens.  
5 Ventus ab adverso violento murmure perflat  
6 praecipitansque nivem turbidus ora ferit.  
7 Italiae post terga manet pulcherrima tellus,  
8 quam vetat aetherei cernere montis apex.  
9 Ante procul colles et Gallica rura patescunt.  
10 Gentibus hic fuerat terminus, est et erit.
- C15 v.1 Valle locus clausa toto mihi nullus in orbe  
2 gratior aut studiis aptior ora meis.  
3 Valle puer clausa fueram, juvenemque reversum  
4 fovit in aprico vallis amoena sinu.  
5 Valle vir in clausa meliores dulciter annos  
6 exegi et vitae candida fila meae.  
7 Valle senex clausa supremum ducere tempus  
8 et clausa cupio te duce valle mori.
- C16 v.1 Sancoele, sacra, mihi tua lumina visa secundo  
2 lumen ad aethereum perducant pectore mundo.  
3 Tempora diffugiunt subitoque senescimus, ergo  
4 stet deus ante oculos, cedant mortalia tergo.
- C17 v.1 Victor erat verbo rex Gallus et ore superbo,  
2 nunc fugit in latebras bello superatus acerbo.  
3 Lapsus in insidias rudis incola fontis aprici  
4 mittitur : exiguum ne despice munus amici.
- C18 v.1 Quid miser hic gaudes ? Mundi circumspice fraudes  
2 et laqueos mortis : vi patentibus effuge portis.  
3 Dum sequitur socios, hic hamo carpitur unco  
4 quem tibi cura fuit tenui suspendere junco.  
5 Hos quoque credulitas traxit post fata suorum :  
6 Mors erit una quidem conjunctaque busta duorum.
- C19 v.1 Mulcet honorati reditus spes blanda gementem,  
2 ne fera digressus perimant suspiria mentem.
- C20 v.1 Urse, tuum memori teneas sub corde poetam.  
2 Temporis hanc brevitatem vetor transcendere metam.

- C21 v.1 Bellica tartareis concurrunt agmina turbis  
2 praecipitantque suae trepidantes moenibus urbis.  
3 O decus Angelicae Michael ductorque cohortis,  
4 quem fera monstra tremunt, nos faucibus eripe mortis !
- C22 v.1 Purpureas niveasque rosas ver nutrit amoenum.  
2 Sola potest virtus nomen praestare serenum,  
3 cui si sanguis adest ab origine clarus avorum,  
4 florem juncta ferunt auro frondente decorum.  
5 Gratulor ambobus : dignus tu sumere munus,  
6 dignus et ille dare, meritorum cognitor unus.
- C23 v.1 "Spes mea dum vixi, nunc spes manifesta bonorum,  
2 vir mihi funereum gratus ad usque torum  
3 promerita mercede caret. Gemit ille fidelis.  
4 Cum sibi solamen nam potes esse velis,  
5 Poscere quod presens nequeo, mea poscit imago  
6 quodque prius mallet, jam tumultus ago."
- C24 v.1 Lusimus atque novi flores concorditer anni  
2 carpsimus et primo vere simul fuimus.  
3 Egimus et calidae tempus simul omne juventae  
4 aestivosque dies ancipitesque vias.  
5 Fac, precor, autumnum, gelidae fac tempora brumae  
6 quodque prope est senium fac precor ire simul.  
7 De reliquis aevi seros quid scindimus annos ?  
8 Mors et vita simul sintque sepulcra simul.
- C25 v.1 Laurus amoena virens moritur : nunc optima vitae  
2 tempora diffugiant ; jamque impia fata venite !  
3 Spes, tanto frustrata bono, jam coepta relinque ;  
4 tu quoque quid sequeris ? Nunc nunc moriamur utrimque.  
5 Mens, dominam moriendo tuam precurrere cessas ?  
6 Illa quidem properat : tu spes trahis anxia fessas.  
7 Hinc animo nil dulce meo nisi copia flendi :  
8 omnia quae video fiunt mihi causa dolendi.  
9 Illa fugit quae olim nobis dabat una placere,  
10 praecipitique gradu fert quae mihi grata fuere.  
11 Vita brevis misero properataque mors sit amanti :  
12 flens vivam moriarque libens : mors aequa vocanti.  
13 Nunc precor absolvi, dum claustra decora recludis,  
14 atque animam egregio castam de pectore trudis,  
15 ut comes astra petam factus simul incola caeli,  
16 unius pariter peream si cuspide teli.  
17 Nil metuo jam nunc, gravioraque nulla tremisco :  
18 heu mihi ! Sed quali teneor cum corpore visco ?  
19 Sperabam, fateor, mihi lux dum intraret acerba,  
20 illius et lacrimas et consolantia verba.  
21 Cur autem omisso jubet hoc deus ordine pulchro,  
22 ultima nascendo prius ut sit clausa sepulcro ?  
23 Cum prior intrassem, gravis est injuria sortis,  
24 quod prior egrediens venit hec ad limina mortis.

C26 v.1 Ursa peregrinis modo pasta in montibus ista  
 2 Chaoniam pingui glandem mutavit arista,  
 3 et prius obscurum, mutatum post animal bis,  
 4 nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis  
 5 dedidicit tolerare parem. Sed vincit alumnis  
 6 regia Solis enim sublimibus alta columnis.  
 7 Cyrrus erat tremulum nactus per lubrica culmen,  
 8 qualiter expressum ventis per nubile fulmen ;  
 9 femina dum videt hunc indoctum fata subire,  
 10 protinus exarsit, nec tempora distulit ire.  
 11 Dumque hostis posset titulum gessare repulsi,  
 12 una nota est Magno capitis jactura revulsi.  
 13 Si Romam Poenus victricia signa tulisset,  
 14 ultimus ille dies bello gentique fuisset.  
 15 Exul inops misero quondam periture veneno,  
 16 o nimium caelo et pelago confise sereno,  
 17 tempora dum spernis, dum res agnoscere laetas,  
 18 labitur occulta fallitque volubilis aetas !  
 19 Obfuit Hesperiae generi clementia nempe :  
 20 jam super Herculeas fauces nemorosaque Tempe  
 21 heu licet armentis sortem miseremur acerbam  
 22 vellere surgentem de nostris ossibus herbam ;  
 23 nec foret Epiro, scissis a corpore morbis,  
 24 pugnatum totis concussi viribus orbis.  
 25 Nomina non valeam sic enumerare cadentum,  
 26 non mihi si linguae centum sint oraque centum ;  
 27 verum ego quid meditor dicam, non falsa monebo  
 28 atque per ambages et longa exorsa tenebo.  
 29 Ursa cruenta equidem natorum at tristia plangit  
 30 ora videns, animum curis mordacibus angit,  
 31 nocte dieque ferum quatiunt suspiria pectus  
 32 pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus.  
 33 Namque ubi respexit paulum Fortuna severe,  
 34 cura dolorque animi lacrimaeque alimenta fuere :  
 35 Orpheus ut quondam, dum flectere Tartara credit,  
 36 squalidus in ripa Cereris sine munere sedit.  
 37 Laesa furit tentatque animo temeraria forti  
 38 seu versare dolos seu certe occumbere morti.  
 39 Hanc damnis compesce suis, ne saeviat extra,  
 40 impia jam merita scrutatus lumina dextra.  
 41 Ense decus partum noscas atque ense tuendum,  
 42 nil actum credens. Cum quid superesset agendum.  
 43 Est vicisse parum, superest incumbere victis.  
 44 Excessere omnes aditis arisque relictis,  
 45 non redeunt iterum, totiens occurre fugatis ;  
 46 tolle moras : semper nocuit differre paratis.  
 47 Bella novant, repetunt, flentes sua vulnere secum :  
 48 ipse prior, miles campum descendat in aequum ;  
 49 irrue, per claras semper memorabilis artes,  
 50 dum trepidant nullo firmatae robore partes.  
 51 Heu, Jovis obsessam tenet arcem, triste relatu,  
 52 et nunc ille Paris cum semiviro comitatu.  
 53 Intus quos nec bruma ferox, nec torreat aestas  
 54 et Metus et malesuada Fames et turpis Egestas ;  
 55 exterius Perusina cohors, gens improba Nursi,  
 56 saetigerique sues atque in praesepibus ursi :

57 colluvies infanda hominum pretioque reguntur,  
58 nulla fides pietasque viris qui castra secuntur :  
59 arma timent, horrent gladios clipeosque micantes ;  
60 pugna levis bellumque fugax turmaeque vagantes.  
61 Nam decus ursorum finis requiesque laborum  
62 et quaesitorum terra pelagoque ciborum.  
63 Quemlibet invenies illa de stirpe creatum  
64 plenum epulis madidumque mero Venerique paratum ;  
65 et magis edoctum quam saevo accingier ense  
66 expectare dapes et plenae pocula mensae.  
67 Hostis ad incursum nequeunt consistere sella,  
68 at non in Venerem segnes nocturnaue bella.  
69 Turba loquax, quis ferre queat quae singula mutant ?  
70 Milia rumorum confusaque verba volutant :  
71 depressi immemores alieno vomere sulci  
72 pastoris duri hic filius, ille bubulci.  
73 Ergo, age dux, subito trepidantia dissice castra,  
74 macte nova virtute, puer : sic itur ad astra.  
75 Vel si forte negant, arcanis obsita causis,  
76 invida fata piis et fors ingentibus ausis,  
77 ast aliquando ferant hostilia tecta furentem  
78 egregiam et victu facilem per saecula gentem :  
79 sic potes imbelles arcere, Columna, catervas,  
80 que Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas.  
81 Non aliter pactum poterat refringere postem  
82 Poenum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem.  
83 Ardeat igne velis mons ille reductus edaci  
84 captivumque ducem violatae tradere paci.  
85 Cur male non cingit toto sua culmina posse  
86 agger murorum, nec inundant sanguine fosse ?  
87 Saeviat in pavidos ruptis tua dextera claustris,  
88 in segetem veluti cum flamma furentibus Austris.  
89 Clausa manus videat, sompnis modo pinguibus usa,  
90 tot telis sua fata peti, tot corpora fusa.  
91 Audiat illa tubam maesto circumflua planctu  
92 aere ciere viros Martemque accendere cantu !  
93 Alba Columna, procul cum signa rubentia tolles.  
94 Descendens totos perfundit lumine colles ;  
95 Praenestina phalanx jaculis subtexere celum,  
96 tollere et emissum cursu praecedere telum,  
97 frangere nunc fluvium, nunc passum quaerere pontis,  
98 nunc caput aerii scandentem prendere montis.  
99 Quam totiens meminisse potes, geret horrida bellum  
100 sanguineum quatiens veluti Bellona flagellum ;  
101 sunt tamen indomito tua subdita castra parenti.  
102 Ne cessa praebere deo tua fata volenti :  
103 nam deus ipse aderit bellum est cum gente maligna.  
104 Tollite jam pridem victricia, tollite, signa !  
105 Si pater hic tuus est qui componi arma jubebat  
106 pax fuit : hic leges Campumque et rostra tenebat ;  
107 si potuit rigido trepidam componere vultu  
108 hic rem Romanam magno turbante tumultu ;  
109 si saepe in dubiis, qui nunquam destituit spem,  
110 unus homo nobis pugnando restituit rem,  
111 tempore praecipitis quem vis non ulla ruinae  
112 non anni domuerit decem, non mille carinae ;  
113 si dicturus erat quis quis tunc cerneret illum,  
114 aspice Torquatam et referentem signa Camillum,

115 sique domi et bello clarum nullique secundum  
 116 aérias tentasse domos animoque rotundum  
 117 aethera noverunt et egentes sanguinis umbrae  
 118 Narve tulit praeceps et opacae Farfarus umbrae,  
 119 quis metuat tanto tam mollia credere fata ?  
 120 Vivite felices, quibus est fortuna parata !  
 121 Praestet in ambobus veteris modo cura decoris,  
 122 vicistis : videor fluvios spectare cruoris.  
 123 Fors sinit, his metuens mores abrumpere sanos,  
 124 intonsos rigidam in frontem descendere canos.  
 125 Fac, precor, abiciat vultus praesagia maesti  
 126 justitiae cultor, rigidi servator honesti,  
 127 prospiciatque dolos. Nam, si bene cetera noscit,  
 128 non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.  
 129 Ante trahenda lupis, agna imperterrita, dones  
 130 ubera, nec magnos metuent armenta leones ;  
 131 ante per Aethiopum campos nix alta rigebit,  
 132 nec Babylon aestum, nec frigora Pontus habebit,  
 133 foedera quam tibi sint ursorum credita tutae ;  
 134 quam simul aspexit, dicta acceptaque salute,  
 135 te, trux ille queat conceptum avertere primum,  
 136 primo ne medium, medio ne discrepet imum.  
 137 Illius, mihi crede, domos male tutus adires  
 138 nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires.  
 139 Cur igitur pacem juvat expectare morando ?  
 140 Desine fata deum flecti sperare precando.  
 141 Sed si nulla quies nisi sanguine protinus hausto,  
 142 i, bone, quo tua te virtus vocat, i pede fausto :  
 143 clausum pacis iter, patet altera semita vobis  
 144 usque adeo nusquam arma et equi fretaque invia vobis.  
 145 Bellandum est ; frustra gladiis, dux optime, parcis,  
 146 si datur et duris sedet haec sententia Parcis ;  
 147 proderit haut pietas : opus est nunc viribus uti,  
 148 o scelerum ultores melioraque signa secuti ;  
 149 nec labor impediatur, lux et nox, anxia curis,  
 150 dulcia virtuti ; gaudet patientia duris.  
 151 Extulit Alcidem labor irrequietus ubique,  
 152 rege sub Eurystheo fatis Junonis iniquae ;  
 153 Priamidem virtute licet natura replisset,  
 154 sed nisi bella forent, nunquam mihi cognitus esset.  
 155 Ille parens patriae famam quaesivit abundae  
 156 qua nimius Titan raraeque in fontibus undae.  
 157 Eximiae Marium bello juvere coactae  
 158 vulneraque et mortes hiemesque sub Alpibus actae ;  
 159 vos quoque praedictis est adnumerare necesse,  
 160 cum status Urbis erit qualem nunc auguror esse !  
 161 Est placitum superis super hoc transmittere votum ;  
 162 sic et apud seras gentes populosque nepotum  
 163 gloria per multos durabit parta labores.  
 164 Ite alacres, nunquam vestri morientur honores :  
 165 denique si properet cursu mors improba saevo,  
 166 nulla dies unquam memori vos eximet aevo.